



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Martini Martinii Tridentini E Societate Jesu Sinicae
Historiae Decas Prima**

Martini, Martino

Monachii, 1658

Nonus Imperator Mangus. Imperavit annis XVIII.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11848

NONUS IMPERATOR
M A N G U S.

Imperavit annis XVIII.

MANGUS patrem in imperio, ut & imperandi ratione per omnia Cycle 12. anno
24. ante Christum
Anno 2014.
secutus, in hoc uno ab eo discessit, quod regiam urbem in lo-
cum commodiorem à regione Occidenti magis objecta ad
Croceum fluvium transfulerit. Hoc nomen fluvio, quem Sinæ Ho-
ANGHO vocant, ob croceum seu luteum colorem datum est, ab ar-
gilla, per quam volvitur, flavescenti. A montibus Amasais, quos
QUENLUNG Sinæ vocant, per quingentas leucas & amplius ingenti
aquarum mole illam orbis plagam versus procurrit, quæ media in-
ter Orientem & Septentrionem est. Inde paullatim ortum petit, Si-
nas Boream inter & Occidentem alluens, ac per desertum C A R A C A-
TAYO, seu Lopoberrans, denique cursu in Austrum flexo quinque
Sinarum provincias irrigat, & murum illum famam tam celebrem, qui
Tartarorum irruptionibus objicitur, subingressus, tandem in provin-
cia NANKING prope HOAIGAN in mare magnâ vi aquarum se exo-
nerat, semper croceo, quem vehit, limo turbidus. Argilla enim, quæ
nomen & colorem fluvio conciliat, non, ut in limpidis aquis, ex imo
tralucet; sed undarum violento cursu identidem excitata torrentium
more, pluvijs intumescentium, totum flumen tingit, uti multiplici
experimento comprobatum est. Aqua enim inde vase excepta ubi ali-
quamdiu conquevit, minutissimus limus tantâ copiâ in fundum sub-
sedit, ut tertiam ferè partem constituat; quod mihi aliquoties expe-
ripi placuit. Certe cum primitus ingens hoc flumen vidi, paludem
aut fludum limum intueri me credebam; sed summa, quâ fluit rapa-
citas aliter de ipso sentire me docuit. Mirum, unde tanta vis argillæ
proveniat: neque enim clarescere ac limpidus fieri unquam visus est.
Hinc proverbium natum Sinis, res ceu nunquam futuras explodienti-
bus: tunc nempe quidpiam eventurum quando Croceus fluvius cla-
resceret. Qui plura de hoc fluvio scire desiderat, nostrum Atlantem ex-
tremæ Asiae consulat.